UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Corpus Juris Canonici

Gregor <XIII., Papst>

M. DC. LXI. Coloniae Munatianae, 1661

68 Si dubius præsit quos ordinet, hi resacrentur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-62953

Visual Library

DISTINCTIO LXVI.

1 gs **A**Rchiepiſcopus autem ab omnibus ſuæ provinciæ Epiſcopis debet ordinari. a

C. I. ¶ *Ab omnibus ſuffraganeis ſuis Archiepiſcopus ordinetur.*

Unde Anicetus Papa *in epiſt. ad Epiſcopos Galliæ.*

ARchiepiſcopus 1 ab *b* omnibus ſuæ provinciæ Epiſcopis ordinetur. *& infrà.* 2 ¶ Illud tamen, quod de Archiepiſcopi conſecratione prædictum eſt, atque præceptum, id eſt, ut omnes ſuffraganei eum ordinent, nullatenus immutari licet, quia qui illis præeſt, ab omnibus Epiſcopis, quibus præeſt, debet conſtitui. Sin aliter præſumptum fuerit, viribus carere non dubium eſt, quia irrita erit ejus ſecus acta ordinatio.

1 ¶ Archiepiſcopus] *Hæc prior pars in epiſtola ipſa, & apud cæteros collectores fuſius exponitur.*

2 ¶ *Hic in epiſtola eùm multa alia ſunt interjecta, tum c.* comprovinciales. *ſup. diſt. 64.*

De Epiſcopis autem non ordinandis à paucioribus, quàm tribus Epiſcopis, Anacletus *epiſt. 2. ad Epiſcopos Italiæ ſcribit, dicens.*

C. II. ¶ *Epiſcopus non minus, quàm à tribus Epiſcopis ordinetur.*

POrrò & *c* Hieroſolymitarum primus Archiepiſcopus beatus Iacobus, qui juſtus dicebatur, & ſecundùm carnem, Domini nuncupatus eſt frater, à Petro, Iacobo, & Ioanne Apoſtolis eſt ordinatus, ſucceſſoribus videlicet ſuis dantibus formam, ut non minus quam à tribus Epiſcopis, reliquiſque omnibus aſſenſum præbentibus, ullatenus Epiſcopus ordinetur, & communi voto ordinatio celebretur.

DISTINCTIO LXVII.

1 gs **P**Resbyteri verò, & Chorepiſcopi ab uno Epiſcopo ordinari poſſunt.

C. I. ¶ *Sacerdotes ab uno Epiſcopo poſſunt ordinari.*

Unde Anacletus *epiſt. 2. ad Epiſcopos Italiæ.*

REliqui *d* ſacerdotes à proprio ordinentur Epiſcopo, ita ut cives & alii ſacerdotes aſſenſum præbeant, & jejunantes ordinationem celebrent. Similiter & diaconi ordinentur. Cæterorum autem graduum diſtributioni trium veracium teſtimonium, cum Epiſcopi ſcilicet approbatione, ſufficere poteſt.

C. II. ¶ *De eodem.*

Item in Hiſpalenſi concilio ſecundo, *c. 6. legitur.*

2 gs EPiſcopus ſacerdotibus, ac miniſtris ſolus honorem dare poteſt, ſolus auferre non poteſt.

DISTINCTIO LXVIII.

1 gs **Q**Varitur de illis, qui ordinantur ab his, quos non conſtat fuiſſe Epiſcopos, an ſint iterum conſecrandi, an non. Quòd verò conſecrandi non ſint, probatur auctoritate Gregorii, *qui ſcribens Ioanni Ravennati Epiſcopo, lib. 2. epiſt. 32. ait.*

C. I. ¶ *Semel conſecratus, iterum conſecrari non debet.*

SIcut *e* ſemel baptizatus iterum baptizari non debet; ita qui conſecratus eſt ſemel, in eodem iterum ordine non debet conſecrari. Sed ſi quis forſitan cum levi culpa ad ſacerdotium venit, pro culpa pœnitentia indici debet, & tamen ordo ſervari.

a *Sic Iuſtin. novel. 131. in prin.* b *Extra de tem. ord. c. ſi. archiepiſcop. Poly. l. 2. tit. 8. Anſ. l. 6. c. 39. Burch. l. 1. c. 28. Ivo p. 5. cap. 139. Pann. lib. 3. cap. 10.* c *Idem reperitur in epi. Aniceti. Polyc. ibid. Anſelm. l. 6. cap. 53. Burch. l. 1. c. 15. Ivo p. 5. cap. 139. Pann. lib. 3. cap. 17.* d *Polyc. ibid. Anſ. l. 6. cap. 53. 15. q. 7. cap. 6. & ca. Epiſcopus* e *4. ſen. diſt. 25. B. Poly. l. 2. tit. 35. Anſelm. l. 7. c. 104. Pannorm. lib. 3. ca. 76. Ivo p. 6. c. 12.*

C. II. ¶ *De presbyteris, qui ordinantur ab eis, quos conſtat Epiſcopos non fuiſſe.*

Contrà Gregorius III. *ad Bonifacium Epiſcopum, epiſt. 2. ſcribens, teſtatur.*

PResbyteri, *a* quos ibidem reperiſti, ſi incogniti fuerint illi, qui *b* ordinant, & dubium eſt eos Epiſcopos fuiſſe, an non, qui eos ordinaverunt; ſi bonæ actionis, & catholici viri ſunt ipſi presbyteri, & in miniſterio Chriſti, omnique lege ſancta edocti, ab Epiſcopo ſuo benedictionem presbyteratus ſuſcipiant, & conſecrentur: & ſic miniſterio fungantur.

Quòd ergo conſecratus, in eodem ordine iterum conſecrari prohibetur, de eo intelligendum eſt, qui conſecratus eſt ab illo, quem certum erat conſecrandi jus habere. Qui autem ab illo conſecratur, quem non conſtat jus conſecrandi habuiſſe, iterum conſecrandus eſt: quia ſi ille conſecrandi jus non habuit, iſte ex olei effuſione nil conſecrationis accepit. Et quia in ipſo ordine conſecratus non erat, nunc quaſi primum ad conſecrationem veniens ab Epiſcopo ſacerdotalem benedictionem, & conſecrationem conſequitur. Si autem jus conſecrandi habuit, in prima unctione conſecutus eſt conſecrationem: in ſecunda verò non reiteratur conſecratio, ſed ſola unctio; ſicut de quo dubium eſt, an ſit baptizatus, vel non, debet baptizari: qui ſi prius baptizatus non fuerat, conſequitur gratiam baptiſmi: ſi autem baptizatus erat: nihil accepit in ſecunda unctione: c *nec pertinet hoc ad reiterationem baptiſmi, ſed ad cautelam ſalutis. Hoc & de eccleſiis conſecrandis ſimiliter obſervandum eſt.*

C. III. ¶ *Non debet iterum conſecrari eccleſia ſemel conſecrata.*

Unde in Nicæno concilio *legitur.*

ECcleſiis *d* ſemel conſecratis Deo non iterum debet conſecratio adhiberi, niſi aut ab igne exuſtæ, aut ſanguinis effuſione, aut cujuſcunque ſemine fuerint pollutæ: quia ſicut infans à qualicunque ſacerdote in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti ſemel baptizatus, non debet iterum baptizari, ita nec locus Deo dicatus, eſt iterum conſecrandus, niſi propter eas cauſas, quas ſuperiùs nominavimus: ſi tamen fidem ſanctæ Trinitatis tenuerunt, qui eum conſecrarunt.

2 pars. *Inter Epiſcopos, & Chorepiſcopos autem hæc eſt differentia, quòd Epiſcopi non niſi in civitatibus, Chorepiſcopi etiam in vicis ordinari poſſunt. Epiſcopi formatas tribuunt, Chorepiſcopi non niſi commendatitias, & pacificas dare valent. Epiſcopi jus conſecrandi habent, Chorepiſcopi tantùm minores ordines tribuunt, leviticam autem, & ſacerdotalem benedictionem non valent præſtare.*

C. IV. ¶ *In quibus Chorepiſcopi ab Epiſcopis differant.*

De his ita ſcribit Leo I. *ad Epiſcopos Germaniæ, & Galliæ, epiſt. 86. al. 88.*

QVamvis *e* Chorepiſcopis, & Presbyteris plurima cum Epiſcopis miniſteriorum communis ſit diſpoſitio, quædam tamen auctoritate veteris legis, quædam novellis, & eccleſiaſticis regulis ſibi prohibita noverint: ſicut eſt presbyterorum & diaconorum, aut virginum conſecratio, ſicut conſtitutio altaris, ac benedictio, vel unctio. Siquidem nec erigere eis altaria, nec eccleſias vel altaria conſecrare licet, nec per impoſitionem manuum, fidelibus baptizatis, *f* vel converſis hæreticis *g* paracletum Spiritum ſanctum tradere, nec chriſma conficere, nec chriſmate baptizatorum frontes ſignare, nec publicè quidem in Miſſa quemquam pœnitentem reconciliare, nec formatas cuilibet epiſtolas mittere. Hæc enim omnia illicita ſunt Chorepiſcopis

a *Anſ. l. 7. c. 110. Ivo p. 6. c. 117.* b *à quibus fuerint ordinati.] orig.* c *lotione.* d *De conſecra. diſt. 2. c. eccleſia.* e *Ivo p. 6. c. 72. Anſ. l. 7. c. 122. Poly. l. 4. tit. 26.* f *baptizandis.] orig. & Ivo.* g *ex hæreſi.] orig.*